



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

152 Res nondum natas & incertas in permutationem recte venire ex  
Naurri sententia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

*Comment. in c. cum vniuersorum. de rer. perm. 91*  
ratus alieni resignatio moxque collatio, confe-  
ssim excidet pastore proprio propter capit.  
de multa s. de præbend. & per consequens ni-  
hil habebit quod alteri vicissim resignet? quid  
enim vel quis impediet huius pastoratus iam  
vacantis impetrationem? Respondent vnani-  
miter omnes nostri, d. cap. de multa. s. de præ-  
bend. in quaestione proposita cessare, propter  
ea quod acceptatio beneficij cuiuslibet ex cau-  
sa permutationis non faciat quemquam pos-  
sessorem pacificum neque certum de retinēdo,  
nisi compermutans vicissim cōsequatur atque  
pacificè retinere possit sui compermutatis be-  
neficij; quod nisi fiat, liberum est ad pro-  
prium beneficium redire sicuti Pontifex hoc  
loco docet atque paulò post plenius ostende-  
tur; ideoque nulla prorsus ratio permittit vt  
per acceptationem talem pastoratus postero-  
ris & alieni, mox vacet ac amittatur pastoratus  
prior & proprius. nam & alter Episcopus per-  
mutationem fortè nolet admittere, quo casu  
permutatio prorsus erit nulla suumque pro-  
prium retinebit vterque permutans pastora-  
tum. Pleniorem hac de re disputationem vide-  
tum apud Collectarium in cap. vlt. hoc nostro  
tit. nu. 17. & seqq. & apud Senensem d. tracta-  
tu de permutat. quaest. ii. ne cæteros nūc otio-  
sè memoremus. Neque mirū videri cuiquam  
debet per interualla permutationem impleri  
posse, cum in rebus alijs extra beneficia per-  
mutandis etiam res illæ quæ nondum sunt in  
rerum natura sed quæ speratur futuræ putetur  
in per-

152  
Res nondum  
natas & in-  
certas in per-  
mutationem  
rectè venire  
ex Navarra  
sententia.

in permutationem venire; sic videlicet, vt alter permutantium nunc in præsentia det, alter vero tum demum quando res illæ fuerint in rerum natura: veluti si quis fœtus aliquos animalium vel messem futuram permutet cum suppellectili iam parata præsentique. quod licet Siluester atque Dominicus Soto negent, verissimo tamen iuris videtur nisi fundamento, cum res nondum natas in emptionem & venditionem vel etiam stipulationem venire certissimum sit, quin & res incertissimas & fortasse nunquam exituras, vt iactum retis; vt rectissime Nauarrus, talem permutationem defendens, adnotauit in suo Enchiridio Cōfessar. cap. 17. nu. 283. litera marg. C. Quod quia præsentis loci non est, nos hoc tempore nec in hanc nec in illam partem concludere constituimus. Quod autem propositæ quæstionis est de duobus diuersarum diocesium Pastoratibus vel aliis beneficiis incompatibilibus (quæ dicuntur) permutandis, & ex interuallo hinc inde resignandis, iure quis aliam deinceps hanc moueat quæstionem quid si sex integri vel etiam plures interim labantur menses, an ne tum quidem post interuallum tam longum ceseatur ipso iure vacare pastoratus proprius, ita vt per quemuis impetrari possit, & quidem à collatore superiore, vt ac tanquam ad quem ex Concilio Lateranensi ius conferendi deuolutum sit iuxta cap. 2. s. de concess. Præbend. præsertim cum permutantes grauitè peccare videantur in tam longa dilatione.

153  
An sex menses  
vel vllis certum  
tempus, implēdis per-  
mutationibus præfixum.

Respon-